

esse, et poenitentias juxta eorum rigorem non esse injungendas, quidquid dicant aut dicere videantur antiquæ severitatis laudatores, ut passim *Fleury*, in sua Historia et sermonibus præviis. Antiquos canones tamen penitus ignorare non licet, quia si disciplina Ecclesiae decursus temporum mutata est, spiritus ejus idem semper est.

§ II. — De poenitentia nunc injungenda.

Constat ex concilio Tridentino supra citato poenitentiam injungendam nunc relictam esse prudentiæ confessarii, qui, *pro qualitate criminum et facultate pœnitentium, salutares et convenientes satisfactiones injungere* debet. Hæc propositio ulteriori probatione non indiget, sed tantum explicatione.

Dicitur 1º *pro qualitate criminum*; id est habita ratione specierum, numeri et circumstantiarum peccati, ita ut poenitentia « non sit tantum ad novæ vitæ custodiam » et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem. » Sunt verba sacri Concilii, *ibid.*

2º *Pro pœnitentium facultate*; idem habet Rituale Romanum. Debet ergo confessarius attendere facultatem, tum spiritualem, tum temporalem pœnitentium, ætatem, sexum, convictum, infirmitatem, etc., quia non omnes eadem possunt.

Hinc 1º non injungenda sunt jejunia infirmis, pueris, opificibus continuo labore defatigatis ; 2º non peregrinationes, longæ preces vel eleemosynæ mulieribus sub potestate viri constitutis, filiisfamilias aut pauperibus nihil habentibus ; 3º non præscribenda sunt opera quæ confessionem pœnitentis revelarent, vel eum ludibrio aliorum exponerent ; 4º minor injungi potest satisfactio iis qui singularem exhibent contritionem vel piis operibus vacare solent, quia hæc defectum pœnitentiæ supplent. Non tamen excusaretur confessarius, etiam a gravi culpa, si nullam vel levissimam pro magnis peccatis injungeret pœnitentiam, quia pœnitens ipsi videtur vehementissime contritus, aut indulgentias lucraturus : ita saltem com-

munius theologi, contra *Cajetanum, Navar., Suarez*, etc. 5º Minuenda est poenitentia si prudenter timeatur ne pœnitens vere conversus, sed adhuc debilis, a vita christiana deterreatur, et in dubio magis sectanda est misericordia quam severitas, quia sacramentum Pœnitentiæ potius est forum indulgentiæ quam *iræ et pœnarum*, ut ait Concil. Trid. cap. 8. Unde in Decreto, part. 2, causa 26, quæst. 7, can. 12, legitur : « Si erramus modicam poenitentiam imponentes, nonne melius est propter misericordiam rationem reddere quam propter crudelitatem ? » Ubi enim paterfamilias largus est, dispensator non debet esse tenax. Si Deus benignus, utquid sacerdos ejus austerus ? Vis apparere sanctus ? circa vitam tuam esto austerus, circa alienam benignus. »

« Si sacerdos, inquit *S. Antoninus*, tertia part., tit. 17, cap. 20, non possit gaudere de omnimoda purgatione sui pœnitentis, saltem gaudeat quod liberatum a gehenna transmittat ad purgatorium. »

Certum est hominem qui pluribus annis in mortalibus peccatis sæpe repetitis provolutus est, nunquam nimiam præstare posse satisfactionem ; expedit ergo ut confessarius « talem ei imponat pœnitentiam qualem ab eo præstari posse judicet : proinde aliquando, si ita expedire viderit, illum interroget an possit, anve dubitet pœnitentiam sibi injunctam peragere ; alioquin eam mutant aut minuet. » Sunt verba *S. Caroli*, Instruct. pœnit. (Act. Ecel. Mediol., t. 1, p. 433).

Unde si hujusmodi peccator libenter acceptet pœnitentiam singulis hebbomadis implendam, v. g., jejunium, aut recitationem psalmorum Pœnitentialium per duos aut tres annos, confessarius illam imponere potest, admonens eam esse pœna temporali luenda longe inferiorem ; at sæpe minorem injungere tenetur, propter rationes modo expositas, et tunc « demonstrabit, inquit *S. Carolus*, *ibid.*, his qui gravius peccaverint (quo magis scelerum suorum magnitudinem agnoscant), quanta ipsis pœnitentia ex canonum regulis imponenda esset ; nec vero putent peccata sua levia esse, quia parva illis pœnitentia

» tia data est; sed hoc factum esse, ne eam quæ pro cul-
» parum ratione injungenda erat, deserant cum periculo
» salutis suæ. Proinde pœnitentes hortandi erunt ut præ-
» ter pœnitentia imposta opera, plura etiam alia præ-
» stare conentur. »

3º *Salutares*, id est medicinales simul et pœnales, juxta concilii Tridentini mandatum. Igitur optimum erit pœnitentias contrarias peccatis imponere, v. g., eleemosynas avaris, jejunia libidinosis, humilitatis officia superbis, devotionis studia desidiosis: raro autem vel serius confitentibus, vel in peccata facile residentibus, consultum erit injungere ut festis solemnibus, vel semel in mense, vel etiam frequentius confiteantur. Item amatoribus mundi, ejusque pompas, choreas aliaque Satanæ opera sectantibus, injungendum suadet *S. Carolus*, ut mane surgentes, revocent in memoriam sponsiones in Baptismo factas, quod idem vespere præstare poterunt. Alia hujusmodi remedia pio ac ferventi confessario, meditationibus lectionibusque sanctis assueto, facile occurrent.

4º *Convenientes*. Non solum enim requiritur ut satisfactiones sint in se salutares, debent insuper esse proportionatae et convenientes, tum personæ, tum peccatis pro quibus imponuntur, juxta prudentiæ regulas. Hinc 1º publica pro delictis occultis imponi non debet pœnitentia; pro delictis autem publicis et scandalosis, solus episcopus aut ab eo delegatus pœnitentiam solemnem vel extraordinariam imponere potest. At quilibet confessarius eam injungere tenetur satisfactionem quam prudenter aestimat necessariam ad reparandum scandalum, v. g., postulationem veniae, manifestationem pœnitentia, retractationem doctrinæ, verborum, scriptorum contra fidem aut mores, etc. 2º Caveat confessarius ne pœnitentias diversi generis operibus implicatas rudibus vel personis obliviosis imponat, aut aliquid singulis diebus per multum tempus faciendum injungat; necesse est ut simpliciter loquatur, præceptum a consilio clare distinguat, et aliquid semel, bis aut ter singulis hebdomadis facien-

dum præscribat, ut si pœnitens una die oblitus fuerit, omissionem altera die reparare possit. 3º lis qui sæpe in eadem relabuntur peccata, quamdam pœnitentiam imponere juvat pro unoquoque relapsu, v. g., jejunia pro incontinentiis, eleemosynas pro blasphemis, etc.

§ III. — De operibus injungendis.¶

Supponimus velut certum opera satisfactoria debere esse pœnalia, quia sic perpetuo exhibentur in Scriptura ac in tota traditione. Et revera, quis risum cohibere posset, audiendo opus sub omni respectu jucundum, v. g., ludum, ciborum delicatorum esum, vini generosi potum, in expiationem peccati impositum fuisse? Opus autem duplicum habere potest difficultatem; unam objectivam, seu ex natura ejus provenientem; et alteram subjectivam, id est ex parte hominis illud exsequentis. Sic oratio pœnal is in se, sed aliis magis, aliis minus operosa, ratione dispositionum, tum animi, tum corporis.

Omnis actus virtutis est pœnalis, et ideo in satisfactionem imponi potest; quia eo ipso quod mentem ad cœlestia erigat, homini carnali plus minusve adversatur.

Concilium Trid., sess. 6, cap. 14, triplex distinguit genus pœnaliū operum ad quæ cætera revocari possunt, scilicet, jejunia, eleemosynas et orationes.

1º *Jejunia*, ad quæ revocantur omnes carnis afflictiones, ut 1º ipsum jejunium, et etiam aliquando in pane et aqua; 2º abstinentia a carnis, vino aliquo liquore fermentato, aut illius aqua multa temperati usus; 3º flagellationes et cilicia; 4º sanctæ peregrinationes, præser-tim pedibus factæ, quamvis *qui multum peregrinantur raro sanctificantur*, ait auctor libri de Imitatione Christi; 5º vigiliæ, humi vel in lecto duro cubationes; 6º genuflexiones, brachiorum extensiones, aut alii pœnales situs corporis; 7º abstinentia a deliciis, conviviis, ludo, venatione, equitatione, vestibus exquisitis, etc.

2º Per eleemosynas, intelligi debent omnia misericordiæ opera, sive corporalia, sive spiritualia, v. g., eruditio ignarorum, visitatio infirmorum, consolatio afflictorum.

Si confessarius pœnitentias pecuniarias imponat, caveat ne eas suscipiat erogandas, ne in aliquam suspicionem avaritiae aut fraudis deveniat, etc.

3º Orationis nomine comprehenduntur 1º recitatio Of-
ficii divini, Psalmorum, Rosarii, etc.; 2º meditatio et
oratio mentalis, lectio librorum spiritualium, sive privata,
sive coram familia; 3º examen conscientiae, sero et mane,
renovatio propositi vitae emendandæ et actus contritionis;
4º certus numerus actuum fidei, spei, charitatis, humili-
tatis, contritionis, etc.; 5º visitatio ecclesiarum, adoratio
sanctissimi Sacramenti, quædam exercitia religionis;
6º frequens sacramentorum Pœnitentiaæ et Eucharistiaæ
susceptio, auditio Missæ, assistentia concionibus sacris
vel catechismis, ingressus in confraternitatem, actus vel
exercitia pietatis sive erga Dominum nostrum Jesum
Christum, sive erga B. Virginem, sive erga sanctos aut
aliquem sanctorum, sive etiam bonum opus, v. g., reci-
tationem Rosarii in favorem alicujus personæ.

Cum, ex dictis, omnis actus virtutis sit opus satisfac-
torium, inde sequitur opera alias debita esse satisfactoria,
quia non desinunt esse actus virtutis, et tunc duplice ti-
tulo obstringunt: ea igitur in pœnitentiam injungi pos-
sunt, et tunc dignitati sacramenti participant. Hinc con-
fessarius præscribere potest, v. g., fugam alicujus per-
sonæ scandalosæ, recessum a cauponibus, abstinentiam
a choreis vel comoediis, jejunium in Quadragesima, au-
ditionem Sacri in die Dominica, etc. Alia tamen, saltem
ordinarie, addenda sunt opera indebita.

Item imponi potest patientia in flagellis et tribulatio-
nibus hujus vitæ tolerandis, v. g., rusticis, servis, opif-
cibus pia elevatio mentis ad Deum inter labores et defatigations.

Sæpe etiam juvat imponere hujusmodi pœnitentibus ut
per tempus determinatum, mane ante laborem, vespere
ante cubitum, die Dominica ante vel post Missam genu-
flectentes, aliquandiu de morte, judicio Dei et inferno co-
gitent, peccata præterita detestentur, et innovent consil-
lium potius moriendi quam iterum peccandi.

*Queritur an bona opera pœnitentis, etiam non impo-
sita, per verba confessarii quidquid boni feceris et mali
sustinueris, ad effectum pœnitentiaæ sacramentalis ele-
ventur.*

R. Plures negant, quia virtus clavium opera pœnitentis
non elevat, nisi in quantum ligat; prædicta autem
verba confessarii nullam imponunt obligationem: ergo.

Alii vero multo plures, cum *S. Thoma*, affirmant, et
hac sola ratione nituntur, scilicet, quod Ecclesia frustra
non jussert ut dicta verba proferrentur: ergo in ipsius
mente bona opera etiam libere a pœnitente suscepta, ad
rationem satisfactionis sacramentalis elevantur, saltem si
talis sit intentio confessarii et pœnitentis bona opera fa-
cientis, quod ipsi valde utile est, et ideo consulere bonum.

ARTICULUS TERTIUS.

DE OBLIGATIONE ACCEPTANDI ET ADIMPLENDI PŒNITEN- TIAM A CONFESSARIO IMPOSITAM.

PROPOSITIO.

*Pœnitens tenetur, sub peccato ex genere suo mortali, ac-
ceptare et adimplere pœnitentiam rationabilem a con-
fessario sibi impositam.*

*Prob. 1º Concil. Lateran. IV, can. 21, ubi dicitur de
fideli utriusque sexus, ut injunctam sibi pœnitentiam pro
viribus studeat adimplere.*

2º Rationale. Confessarius non solum potest, sed tene-
tur, sub peccato de genere suo mortali, pœnitentiam sa-
cramentalem imponere: repugnat illum teneri pœnitentia-
m imponere, si pœnitens non teneatur illam acceptare
aut acceptam implere. Præterea pœnitentia est pars ad
integritatem sacramenti pertinens: porro non magis licet
pœnitenti quam confessario sacramentum reddere mutu-
lum: ergo.

*Diximus 1º sub peccato de genere suo mortali; quia res
gravis est momenti, vel in se, ubi magna imponitur pœ-
nitentia pro magnis peccatis, vel respectu sacramenti, si*

levis poenitentia pro levibus delictis, aut pro gravibus jam remissis imponatur : secus esset si, poenitentia pro majori parte impleta, pars levei omitteretur. Multi etiam dicunt omissionem poenitentiae levei, vel pro levibus aut jam remissis impositae, esse duntaxat peccatum veniale : ita *S. Ligoriū*, lib. 6, n. 517, et celebriores theologi apud ipsum.

Diximus 2º *rationabilem*; quia si poenitentia videatur evidenter injusta, impossibilis aut nimis onerosa, et confessarius humiliter rogatus, eam minuere vel in aliam faciliorem commutare nolit, tunc poenitens sine gravi et forte sine ulla culpa recedere potest non absolutus, et alium confessarium adire. Sic *Concina*, *Suarez*, *Layman*, *S. Ligoriū*, etc. At qui mortalia confessus est peccata, et levem tantum, sine rationabili causa, vellet poenitentiam, mortaliter peccaret, sicut confessarius qui in eo casu levem tantum, sine justa causa, injungeret.

Si poenitentia libere acceptata facta fuerit impossibilis, tunc non obligat; nemo quippe ad impossible tenetur. Unde qui poenitentiam oblitus est, eam a confessario requiri debet, si possit; si vero non possit, aut si confessarius illius non recordetur, ad illam non tenetur, quia facta est impossibilis. Nec peccata iterum confiteri tenetur ut novam accipiat poenitentiam, quia novum tunc esset sacramentum, et prius non ideo fieret integrum. Verumtamen id convenientius foret ad remittendam aut minuendam poenam temporalem peccatis debitam.

Si oblivio fuerit culpabilis, v. g., propter negligentiam in adimplenda poenitentia, sufficit etiam hoc peccatum in sequenti confessione declarare; tutius tamen reus petet a confessario ut major sibi imponatur poenitentia. Ita expresse *Billuart*, de Pœnit.

Si confessarius, dando absolutionem, omiserit imponere poenitentiam, poenitens eam petere debet, morali adhuc existente unione.

Circumstantia poenitentiae imposta, ut, v. g., recitare Rosarium flexis genibus, potest esse sub gravi vel sub

levi; id pendet a molestia ei annexa, et a voluntate confessarii eam determinantis et presribentis.

Quæritur 1º an confessarius possit imponere poenitentiam gravem sub levei pro peccatis mortalibus.

R. Quidam negant, dicentes illum esse ministrum Dei, et naturam materiae per se sub mortali obligantis mutare non posse : alii vero multo communius affirmant, quia confessarius vere est judex, et sententiam ferendo conditions absolutionis pro arbitrio determinat. Verum, ut recte notat *S. Ligoriū*, l. 6, n. 518, excepto casu rariissimo ægritudinis aut vehementis contritionis, saltem aliqua satisfactio sub gravi injungenda est. Ergo.

Quæritur 2º quo tempore implenda sit poenitentia.

R. 1º. Non necesse est ut ante absolutionem impletur, idque constat 1º ex praxi hodierna totius Ecclesie ; 2º ex condemnatione propositionis sequentis a Sixto IV, anno 1478, quæ est *Petri Osmensis* : « Non sunt absoluto vendi poenitentes, nisi peracta prius poenitentia iis injuncta ; » 3º ratione ; satisfactio enim non est pars essentialis, sed tantum integralis sacramenti : ergo confessarius exigere non debet a poenitente sufficienter disposito ut poenitentiam ante absolutionem implete. Si autem prudenter judicet poenitentem non esse sufficienter dispositum, poenitentiam simul medicinalem et penale ei injungat, eumque pro aliquo tempore remittat, ut melius disponatur : poenitentia quam interea impletbit, effectum non habebit ex opere operato, sicut et confessio, nisi eo instanti quo, accidente absolutione, perficietur sacramentum. Ita *Dens*.

R. 2º. Si tempus a confessario fuerit determinatum, eo tempore implenda est poenitentia; et illo effluxo, non liberatur poenitens, quia non ad finiendam obligationem adjicitur tempus. Si vero tempus non fuerit determinatum, quamprimum moraliter implenda est poenitentia, et mortale esset peccatum eam diu differre. Ratio quam afferunt auctores est integritas sacramenti, mutili remanentis, donc impletatur satisfactio a confessario injuncta.

Quanta autem requiratur dilatio ut peccatum sit mortale, non conveniunt inter se doctores: communius dicunt dilationem intra octiduum vel etiam usque ad quindenam non reputandam esse gravem, seclusa ratione medicinæ, quæ prius urgere potest: at probabiliter dilationem ad mensem, sine ratione excusante, peccatum esse mortale. Vide *S. Ligorium*, l. 6, n. 521. Si pars tantum pœnitentia differatur, peccatum erit veniale aut mortale, juxta quantitatem dilatam et gradum negligentiæ.

Quæritur 3º quænam sint conditions quibuscum pœnitentia impleri debeat.

R. 1º. Quamvis ad implenda præcepta in genere intentio ipsis satisfaciendi non sit necessaria, communius tamen docent theologi aliquam requiri intentionem, ut pœnitentia a confessario imposta recte impleatur. Pœnitentia enim effectum producit ex opere operato; necesse est ergo ut quemdam ad sacramentum habeat ordinem, quem per intentionem præcipue obtinet. Ergo.

R. 2º. Pius requiritur affectus quoad ea opera quæ sunt actus religionis, ut auditio Missæ, oratio, etc., et probabiliter etiam quoad alia opéra, v. g. jejunia, elemosynam, etc. Saltem, juxta omnes, actualis excludi debet affectus ad peccatum mortale, imo et ad veniale quod esset finis totalis operis; nam opus per talem affectum totaliter vitiatum, satisfactorium esse non posset.

R. 3º. Status gratiæ non requiritur quoad ea opera quæ ut implenda ante absolutionem imponuntur; hoc patet ex praxi Ecclesiæ. Quoad vero opera post absolutionem exsequenda, saltem venialiter peccat qui suam pœnitentiam adimplet in statu peccati mortalis, siquidem integralem sacramenti partem indigne suscipit, et obicem fini ejus voluntarie ponit. Probabiliter est tamen et communissime docent theologi eum substantialiter satisfacere, quia solum opus præscribitur, non vero finis ejus. Ita *P. Antoine*, *Collet*, *Billuart*, *Dens* aliique rigidores. Imo, juxta multos, sicut pœnitentia ante absolutionem jussu confessarii implendæ reatum pœnæ tem-

poralis tollunt, cum peccatum postea per absolutionem remissum fuerit; ita pœnæ post absolutionem agenda, etiamsi in peccato postea superveniente impletæ fuerint, tamen sublato per justificationem obice, suum effectum asseverantur. Ita *P. Antoine*.

Valde utile est ut saltem aliqua pœnitentia pars imponatur brevi post absolutionem facienda.

ARTICULUS QUARTUS.

DE COMMUTATIONE PŒNITENTIE A CONFESSARIO INJUNCTÆ.

Certum est 1º ipsum pœnitentem eam mutare non posset etiam in opus longe melius: nam pœnitentia a confessario imposta, auctoritate clavum Ecclesiæ ad rationem sacramenti elevatur, et habet vim poenam temporalem ex opere operato remittendi: pœnitens autem non potest auctoritate sua vim hujusmodi conferre operi a se determinato quantumvis bono. Ergo.

Certum est 2º confessarium pœnitentiam a se impositam, in ipso tribunali sacro, vel etiam, juxta multos, apud *S. Ligorium*, l. 6, n. 529, extra tribunal, mutare posse, eodem sacramento moraliter durante, v. g., antequam pœnitens discedat, vel si statim redeat, quia hæc mutatio ad idem judicium pertinet: quidam hoc tempus immerito extendunt ad plures dies, vel etiam ad hebdomadam; *S. Ligorius*, l. 6, n. 528. Eodem judicio amplius non durante, idem confessarius pœnitentiam mutare non potest, nisi, iterata confessione saltem in genere, absolutione concedatur; alioquin nova pœnitentia non esset sacramentalis. Sufficit in eo casu ut pœnitens, si confessarius statum ejus saltem confusus recordetur, dicat: Accuso me de omnibus peccatis quæ jam tibi, Pater, confessus sum.

3º Quivis sacerdos legitimate approbatus mutare potest, ob justam causam, pœnitentiam ab alio impositam: nam sacramentum Pœnitentia in bonum animarum a Christo fuit institutum: si ergo satisfactiones injunctæ factæ fuerint irrationales, impossibilis, nimis difficiles, inconvenientes, etc., necesse est ut mutari possint; at priore

sacramento non durante, in altero judicio tantum mutari possunt : porro quilibet sacerdos legitime approbatus in novo judicio sententiam ferre potest; ergo. Ita fere omnes theologi, contra *Soto et Vasquez.*

In eo autem casu iterandum est sacramentum cum cunctis partibus ejus, scilicet contritione, confessione et absolutione ; alioquin, *ut jam diximus*, nova pœnitentia non esset sacramentalis. Attamen, cum peccata clavibus directe subjecta et vi prioris absolutionis remissa fuerint, sufficit præcipua in secunda confessione declarare, ita ut confessarius statum pœnitentis modo generali noscat, nisi forte pœnitentia mutanda medicinalis fuisset; tune namque distincte aperienda esset causa.

Monet P. *Antoine* aliquid ex priori pœnitentia relinquentum esse, ne prius sacramentum integritate sua careat : subintelligendum est, si nulla pars ante mutationem fuerit impleta.

Diximus legitime approbatus, id est, habens jurisdictionem in peccata pro quibus pœnitentia fuerat imposta : unde qui non est approbatus pro reservatis, juxta tutorem et communiorem sententiam, mutare non posset pœnitentiam pro reservatis impositam.

Non extra dubium nobis videtur quod dicit *Billuart*, de Pœnitent., scilicet pœnitentem, post mutationem pœnitentiæ, ad priorem propria auctoritate redire posse, quia mutatio in ipsius gratiam facta est; posterior enim pœnitentia est sacramentalis : quomodo ergo sine judicio sacramentali omitti posset?

Quæritur an unus pro altero satisfacere possit.

R. 1º. Si agatur de satisfactione in genere, vel spectatur ut solutio debiti, vel ut medicinalis : in priori casu, unus pro altero satisfacere potest, saltem per modum suffragii, id est, satisfactiones suas Deo pro minuenda pena temporali fratri sui vivi aut defuncti offerre. Ita omnes catholici contra hæreticos. In posteriori vero casu, unus pro altero non magis satisfacere potest, quam sumere medicinalam ad curandum alterius morbum.

R. 2º. Ubi de satisfactione sacramentali agitur, repu-

gnat unum pro altero satisfacere; nam ista satisfactio, quatenus sacramentalis, est actus pœnitentis, ex conciliis Florentino et Tridentino supra citatis : ergo a solo pœnitente impleri potest. Unde Alexander VII, per decretum diei 24 sept. 1663, sequentem damnavit propositionem n. 13 : « Pœnitens propria auctoritate substituere alium » sibi potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat. » (*Curs. compl.*, t. vi, col. 692.)

Exciendus est casus in quo confessarius non impo-
suisset actum personalem et afflictivum : tunc nihil ob-
staret quominus pœnitens satisfactionem sibi injunctam
per alium impleret, v. g., eleemosynam pauperibus ero-
gandam alteri committeret, nisi ex intentione confessarii
ipse pauperes visitare deberet.

Nota. Si modus satisfaciendi non fuerit a confessario determinatus, arbitrio pœnitentis relinquitur : hinc si recitatio Rosarii, v. g., simpliciter injuncta fuerit, pœnitens satisfaciet illud recitando genuflectens, stans, deambulans, sedens, aut alternatim cum alio : si pia lectio fuerit præscripta, sufficiet legere oculis et mente sine vocibus articulatis, etc. Ex hypothesi quod modus fuerit determinatus, plus minusve obligat, prout multum vel parum confert ad finem a confessario intentum.

CAPUT SEXTUM.

DE FORMA SACRAMENTI POENITENTIÆ.

In præcedentibus capitibus de materia hujus sacra-
menti tractavimus : nunc per ordinem de forma ejus
agendum est, et tria examinanda forent, videlicet 1º quæ
sit forma hujus sacramenti, 2º quis ejus sensus, et 3º an
forma deprecatoria sit valida. Jam probavimus adversus
novatores sensum formæ seu absolutionis esse actum ju-
dicialem. Restat igitur ut duo alia examini subjiciamus.